ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissime Amplissime ac summe Vir

Felicem tuum è castris cum Illustrissimo Principe reditum, tibi ac patriae magnopere gratulor. Qui te compellat is est, qui à Clariss. Heynsio, Amplissimoq; tuo affine Davide de Willem, viris doctissimis et maximis, meritoq; tibi intimis, Amplitudini tuae antehac commendatus, aliquem in animo tuo locum invenire, inq; favoris tui partem admitti coepit. Quod beneficium ut minime hactenus exiguum duxi, ita alendum id mihi et tuendum censui. Huc facit levidense hoc munusculum, postremorum meorum laborum exemplar, quo me animum tuum et affectum ambire non nego, qui praeclarae eruditionis, celsaeq; mentis viris charum haberi, magnum semper et in votis habui. Neq; jam majus quicquam exoptat hic libellus, quam ut serena exceptus fronte, autorem suum tuae quam commendatissimum Amplitudini relinquat. Cesso pluribus negocia tua interrumpere, quae non nisi cum insigni Reipubl. detrimento interrumpi queunt. Vale, Vir Ampliss. cum charissima conjuge, amantissimoq; tuo affine Dav. de Willem, qui quin idem hoc munusculum jam à bimestri fere acceperit, gratumq; habuerit, nullus dubito. Sospitet vos benignus Deus, patriamq; nostram diu incolumes tueatur. Quod ex animo voveo, qui sum

Datum Lugd. Batav.
sexto Cal. Novemb.
1634.

Amplitud. tuae devotissimus
Ludovicus de Dieu.

XVIII. 885

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1034

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1034

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1034

N.20

27*

Nobilissimo, Amplissimo summoq̄ V.
D. Constantino Hugenio
domino de Zulicom, et Illustrissi
D. Principi à Secretis
domino suo plurimis colendo

Hagam Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 885
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1034